

4.-88

*Q. D. B. V.*

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA,  
EXHIBENS

# PRÆSTANTIS- SIMAS MEDENDI LEGES,

*QUAM*  
GRATIOSÆ FACULTATIS MEDICÆ CONSENSU,  
PRÆSIDE

DN. FRIDERICO HOFFMANNO,  
ACADEMIÆ h.t. PRO-RECTORE MAGNIFICO  
ET ORDINIS MEDICI DECANO,

*PRO GRADU DOCTORIS*

Publico doctorum examini submittit

AUCTOR

CHRISTIANUS GOTTLIEB TROPPANNER,  
DRESDENSIS MISNICUS.

AD D. VI. JUL. CIO IOCC XIX.

---

HALÆ MAGDEBURGICÆ,  
Typis CHRISTIANE HENCKELII, Acad. Typogr.



CHRISTIANUS GOTTLIEB J. GÖTTSCHEIER  
PRO GERMANIA DOCTORIS  
AVGUSTI 1740  
IN LONDINIENSIS LIBRARIA  
EXCELSIORA LOCATORUM ET MUNICIPALIA  
PRAECEPS AFRICANIS MEDICIS  
DISCERNITIO INTEGRALIBUS MEDICIS  
SALVATRICE





DISSERTATIO

EXHIBENS

# PRÆSTANTISSIMAS ME- DENDI LEGES.

## PROOEMIUM.



Etiam medendi five  
remedia in sanandis morbis  
applicandi rationem ac me-  
thodum medicinæ potissi-  
mum practicæ animam ac fun-  
damentum esse, nec quisquam  
facile inficias ire poterit, qui vel leviter rerum me-  
dicarum gnarus est. Quam fructuosum vero,  
necessarium ac verum illud est, tam dissidentes  
& sibi invicem læpius contrariæ sunt viæ ac ra-

A 2 tio-

tiones, ad morborum medelam pertinentes, ita prorsus, ut quisque fere pro suo ingenio atque arbitrio sibi aliam atque aliam fingat. Qui rationalem medicinam profitentur, in eo ferme omnes convenient, quod recta curandi methodus ad eorum, quæ morbos faciunt, & quæ functiones corporis lœdunt, ablationem directa esse debat: quod quidem non male dictum puto; sed tamen, si consideramus tam innumeras & valde inter se differentes hypotheses, quas plerique autores circa morborum generationem & causas fovent, ex facilī quoque eorum discrip̄tione in curandi ratione ineunda apparebit. Quibus omnibus id accedit, quod paucissimis genuinæ remediorum facultates & vires, quæ removendis causis opponuntur, satis perspectæ & cognitæ sint. Quamvis vero & illud recte sese habeat, id est, si causæ morborum, si earum vis atque agendi modus, si remediorum virtutes vel exquisitissime intelligantur, tamen illud maxime in quæstionem venit, num semper & ubi in potestate medici positum sit, morborum causas remediis tollere. Contrarium fere quotidiana docet experientia atque usus. Ecquis enim est, qui ignorat, in morbis valde acutis, ut sunt pestis, pe-

te-

techiales febres, variolæ, morbilli, aliisque contagio infesti, causam quidem, quæ est exhalatio tenuissima intestino in sanguinem corruptionem motu humores trahens, cognitam esse? Ecquis ignorat, ab intercepta perspiratione & inde remanentibus excrementitiis salis sordibus & coryzam & catarrhales febres, & arthriticas & rheumaticas passiones concitari? Neque vero ullus ita idoneus est, ut remediis has causas subito tollere & morbum auferre possit. In plurimis chronicis afflictionibus causa est apertissima; ita ut plurimum pertinacius asthma à glandularum, quæ sunt in aspera arteria, tumore & induratione, à vasculorum, quæ membranaceas pulmonum vesiculas cingunt, infarctu fit. In pulmonali phthisi exulceratio saepe fistulosa adest; in hydrope viscerum ventris vetus obstructio, imo corruptio prælens est. Malum hypochondriacum perpetuis ventriculi & intestinalium spasmis & flatulentis continetur. In lue venerea & scorbuto summa corruptio lymphæ deprehenditur. Nec tamen hujus generis morbi remediis, quæ flatulentias & spasmos tollunt, quæ obstructiones referant, quæ vi consolidandi prædicta sunt, facile auscultant. Sit etiam, quod

inter morbi causam & vim remedii aliqua intercedat, proportio, atque adeo morbus à medicamentis superari possit: at vero quam pauci sunt, qui sciunt, qua ratione, qua via, quo ordine ac tempore curam quis aggredi debeat. Veteres & qui ex recentioribus eorum dicta amplectuntur, hanc viam inculcant. Dicunt nimirum, naturam, velut optimam morborum medicatrixem, esse lectandam & imitandam. Ecquis vero nescit, naturam promptam esse tam ad juvandum, quam nocendum, eamque tam facile morbos sanare, quam eos, pessimaque & subinde funesta symptomata producere. Præcipua itaque quæstio relinquitur, in quoniam naturam in sanando sequi medicus debeat. Ut vero fateamur, quod res est, plures medicorum, qui artem exercant, agunt empirice, i. e. certa ac tuta methodo sanandi carent, merisque experimentis curat ones suas instituunt, sive, ut explanatus loquamur, si unum vel alterum in auxilium commendatum non juvat, protinus ad alia, quæ scriptores commendant, confugiunt, neutiquam respicientes morbi historiam neque naturam, ætatem & vires laborantis. Quibus cognitis jam facillimum erit judicare, medicam praxin, ut vul-

go

## PROOEMIUM.

go exercetur, in ingenti præcipitio ac labyrintho dubitationum atque errorum versari, nec mirandum esse, quod culpa & injuria medicorum plus sæpe incommodi, quam salutis ægrotantibus afferatur. Ecquis igitur non vehementer exoptet, ut secura, facilis & recta via demonstretur, qua in medendo nemini nocere, sed plures juvare possimus. Non dubitavi igitur, ea, quæ hac in re à MAGNIFICO DN. PRÆSIDE plures annos edoctus sum, nunc potissimum publice proponere, quum specimen meæ, qualiscunque est, eruditionis edendum esset. Constitui nimirum universales & præstantissimi usus in medendo regulas ac leges tradere, quas si quis in curando probe observet, non facile eum à recto tramite & via discessurum esse polliceor. Faxit vero Deus T. O. M. qui summus salutis nostræ autor ac gubernator est, ut omnia cedant in Sui gloriam & mortalium emolumentum. Prodeat igitur prima lex, quæ hæc est;

## LEX I.

Methodus medendi medica inniti  
debet methodo, qua morbi  
spon-

sponte sine medici singulari ope  
fanescunt.



Uemadmodum in universo omnia mirabilia naturæ opera certo ordine, proportione ac tempore fiunt, & ex eo satis tuperque divinæ sapientiæ leguntur vestigia: ita etiam in administranda corporis nostri vitali œconomia nihil sine certo ordine, successu, proportione & legibus motuum efficitur. Et quemadmodum integritas animi & corporis suis necessariis legibus motuum & causis continetur; ita etiam morbi & turbationes functionum à necessariis causis & perverso motuum ordine profiscuntur. Deinde quoniam quotidiana experientia edocemur, plures, præsertim ex plebejis & rusticis, multas quoque gentes medicis & medicina carere, atque ex periculi plenis passionibus subinde melius & citius evadere, ac divites & magnates, qui pretiosis & magnificæ famæ remediis usi fuerunt, quis dubitabit, istud spontaneæ restitutionis beneficium neque suis necessariis destitui causis, neque sine certo ordine, sine tempore, sine motibus ad hanc rem pertinentibus præstari. Hanc igitur methodum & indagare, & sequi & imitari, & naturam, ut cum vulgo loquamur, errantem in ordinem reducere, utique medico convenit. Jam vero probe notandum est, duplicitis generis in humano corpore institutis motus, quorum quidam natura & genere suo vitæ & sanitati val-

valde infensi sunt, quibus etiam l<sup>e</sup>siones functionum fi-  
unt, & omnis motuum extinctio, sive mors paratur. Et  
hi sunt illi motus, qui ab exterioribus ad interiora ten-  
dunt, qui excretoria constringunt, evacuationibus salu-  
tiferis resistunt, & qui intus omne excernendum retinent,  
& hi Gr<sup>a</sup>cis spasmi vocantur. Alterius generis motus,  
qui sanitati & vit<sup>e</sup> patrocinantur, qui morbos sanant,  
& noxiū expellunt ex corpore, sunt illi, qui ab inter-  
ioribus sive centro ad exteriora seu corporis superfi-  
ciem pellunt & urgent humores, & hi sunt motus concita-  
tores solidarum & fluidarum partium, qui obvii sunt  
in calore pr<sup>et</sup>ernaturali & febrili, maxime si ad externas  
partes diffunditur. Hic motus sanguinis citatior & li-  
berior in se & sua natura est saluberrimus, hic stases &  
stagnationes removet, obstructa referat, infarctus tollit,  
poros & tubulos aperit, spasmodis resistit, & si bene admi-  
nistretur, morbos tollit. Quemadmodum igitur prior  
motus spasmodicus, cum excretiones inutilium intercipiat,  
ad morborum generationem multum contribuit,  
ita certe alter auctior superflua & impura consumendo  
& evacuationes restituendo egregie juvat. Jam vero sa-  
pientiae divinæ ineffabili id in acceptis ferendum est be-  
neficium, quod ita instruxerit artificium machinæ no-  
stræ, ut post motus morbosos, quales *νατ. ἐξοχήν* sunt  
spasmi, in se noxiosissimos non ex singulari quadam cu-  
jusdam interni agentis sapientia, sed ex infinita archite-  
cti nostri providentia, idque ex necessariis & mechani-  
cis causis sequantur motus salutiferi, quorum index est  
validior & celerior pulsus cum calore, rubore, & intu-  
mescentia corporis, qui quasi medelam afferant priori-

B bus

bus motibus. Hi motus si bene succedunt, si idonei sunt vincendis spasmis & morborum causis, corpori sanitas datur. Si vero vis naturæ vineitur à morbo, i. e. si superiores sunt spasmī salutiferis motibus, qui vergunt ad extra, summa pernicies vel mors paratur. Quibus prævisis clarissime intelligi posse arbitror, quid veteres intellectum voluerint, cum dixerunt, morbum esse certamen naturæ cum morbo. Ex his quoque cognoscitur, perperam omnem febrem vel fere omnem morbum pro salutari naturæ conamine haberi, quum tamen nulla febris, & nullus morbus fiat sine spasio. Confundunt igitur in febre salutiferos motus cum noxiis adeoque perniciose & symptomaticas motiones & evacuationes ægre distinguunt à vere salutiferis. Quando enim sic in genere natura morborum medicatrix habetur, nescimus revera, quinam morbosi motus saluti vel præsidio sint corpori, adeoque ignoramus, quinam sint conservandi, quibus vero resistendum sit. Jam vero quando attendimus ad eas actiones & motus, qui in corpore humano observantur, si à morbo liberentur, comprehendimus, id maxime perfici per eos sanguinis & humorum motus, qui tendunt ad superficiem corporis, qui tendunt ad resolutionem humorum stagnantium & qui ad evacuationes directi sunt. Etenim nullam febrem & nullum morbum facile sanari sine evacuatione præcedente animadvertisimus. Naturalis itaque medendi methodus est, quod circulatione sanguinis intensiori & motibus evacuatoriis auctis plures à periculis etiam morbis liberentur. Hanc itaque naturæ optimam, & quæ Deum autorem habet, medendi viam & probe at-

ten-

tendere, & sequi & adjuvare, nec unquam turbare vel pervertere suo artificio debet medicus, si genuinus naturæ minister salutari velit.

## LEX II.

**I**n cujuscunque generis morbis tam præcavendis quam sanandis vel præcipue medicus excretiones, quæ fiunt per transpirationem & alvum, attendere ac respicere debet, ut eæ sint liberæ ac salvæ.

**S**Anitatem sive integratatem actionum corporis & animalium, imo ipsam vitam, sive conservationem corruptibilis corporis convenientibus ingestionibus & egestionibus absolvit, nemo facile in dubium vocabit, qui considerat, his vel cessantibus vel deficientibus & morbos & ipsam mortem oriri. Motus enim est, qui vitam ac sanitatem affert, qui mentem quoque sanam atque integrum servat; sed motus etiam est, qui vita ac sanitati indoneos humores mox ineptos reddit, & plane corruptit. Motus etiam est, qui inutiles & corruptos humores ex corpore expellit, unde opus est, ut recentes ac benigni succi in eorum locum succedant, quod fit per naturæ amica & congrua ingesta, si rite dissolvuntur, & u-

tile ab inutili secernitur ac foras ejicitur. Utut vero in corpore humano plura sint emunctoria & multæ quoque fiant evacuationes, per quas effætum ac noxiū foras propellitur, ex his tamen omnibus usu atque utilitate eminent maxime eæ, quæ fiunt per alvum & cutim, quæ quasi universale universæ humorum massæ emunctorium est. Et quemadmodum ventre sordes & feculentiæ rudiores tam ex ingestis relictæ, quam ex massa sanguinis ibi per glandularum cribra depositæ biliosæ ac mucidæ dejiciuntur: ita per tubulosum cutis cribrum sordes agilioris indolis & ad corruptionem pronæ magna quotidie in copia evehuntur. His excretionibus vigentibus & bene succendentibus sanitas dijudicatur, nec facile morbis corporis patet; cum contra, si hæ vitium capiant, vel deficiant, materia ad morbos generandos statim producatur. Quam itaque morbi originem ex male ingestis & male excretis utique trahant, nihil & naturæ & rationi convenientius est, quam ut ea, quæ à male ingestis maleque excretis fuerint in corpore orta, ab eo removeantur, separentur atque ejiciantur. Quod tamen non tam cito & expedite fieri potest, nisi prius stagnantes humores dissoluti, intemperati correcti, crassi fluxi ac mobiles redditi atque ad evacuandum dispositi ac præparati fuerint. Quum vero evacuationes in statu sano saluberrime fiant per alvum & cutim, sequitur utique, & materias nocentes, quæ morbos faciunt, & actiones secundum naturam turbant, per solennes has evacuationes dimitti & è corpore ejici debere. Quam ob rem etiam experientia docet, nullum morbum vel sponte vel arte juvante finiri, sive acutus sive chronicus fue-

fuerit, nisi per auctam transpirationem & intestinalem evacuationem. Unde etiam recte dictum à Galeno, nullum morbum finiri, nisi præcedente evacuatione. Ex quo jam discitur, prudentem medicum vel præcipue mentem in sanando ad utilissimas has excretiones adverte debere, ne ullo modo illas suppressimat vel intercipiat, sed potius cum cura & cautione eas promoveat. Nihil enim in morbis acutis magis noxiū est alvo diutius cohībita, quandoquidem perpetua & succi biliosi in hepate, qui ad intestina descendit, & succi impurioris lymphatici per intestinorum glandulas & tunicas glandulosas fit in morbis separatio. Si itaque hæ sordes ejiciendæ diu morantur in intestinorum volumine, neque mox eliminantur, utique diuturniori mōra & pejorem naturam induunt, & corrumpuntur, quæ ad massam sanguinis delatae nova & sævissima sæpe symptomata inferunt. Observamus in omnibus acutis alvo potissimum clausa caput præcipue offendit, humorum impetu versus illud converso, unde anginæ, phrenitidis vel etiam lethargi periculum nascitur. Non raro incidit in nostris præfertim regionibus, purpuram rubram vel etiam albam continuis febribus it. variolis, morbillis, petechiis in fine succedere, idque pessimo omnine, eo quod à priori morbo enervatos facile interimit. Causa, si eam inquirimus, nostro quidem judicio plerumque est alvi per plures dies pertinacior suppressio, qua pessima materia ad ad hos morbos producitur, quæ si tempestive per mollientia clysmata aut leniorem alvi ductionem submoveatur, omnis metus horum symptomatum exspirat. Memorabilis est locus ap. Celsum cap. 3. pag. 33. ubi ait:

B 3

Ejectio

Ejectio petenda est, si venter suppressus parum reddit, & ex eo inflationes, caligines, capitis dolores, aliaque mala increscent. Quod præclarum monitum tum in acutis, tum in longis passionibus sanandis utique maximi momenti est. Qui-dam summum medendi arcanum in eo ponunt medici, ut sordes in primis viis collectas clementer & sine turba frequenter evacuent. Sicut vero alvi apertio solatium omnibus omnino morbis affert, ita non minus liberior transpiratio, quæ soboles est sanguinis circuli liberoris & versus exteriora vergentis, nunquam non in morbis utilis & salutifera est, præfertim cum ex observatione Sanctorii major excrementorum copia per habitum corporis dissipatur, quam quæ per cœtera emunctoria transeunt, quo imprimis ea, quæ subtilissimæ, activæ, & ad corruptionem pronæ indolis sunt, commodissime separantur. Quum igitur plurimi morbi ab intercepta hac transpiratione originem suam petant, & hac quoque liberalius, præfertim circa dies criticos, accedente, morbi sanentur, sanitas reparetur, & symptomata quoque in morbi decursu præcaveantur, dum continuo illud, quod in ipso morbo corruptum est, a sanguinis massa secernitur, facile appareat, hoc excretionis genus in curatione morborum, sive chronici sive acuti fuerint, omnium maxime pensi habendum esse, & eo semper laborandum, ut omni modo, debita tamen cum cautione, promoteatur, & nulla ratione impediatur. Coeterum illud in gratiam eorum, qui praxim medicam ingredi volunt, & monendum & repetendum & inculcandum esse existimo, ut hæc duo evacuationum genera, alvi nempe ductionem & diaphoresin curæ cor-dique

95:

dique habeant, ac frequenter & bene administrent, quia hæc sunt tutissima & præsentissima præsidia, quibus etiam pertinacissimi morbi vinci possunt. Et certe quicunq; his remediis selectioribus apto tempore, ordine ac dosi & convenienti regimine recte uti scit, is non facile inauspicatum vel tragicum comperiet effectum, sed insuper etiam magna ac mirabilia præstare poterit. Lues venerea & scorbutus graves & pertinaces affectus sunt, horum tamen veherentia non raro felicissime prudenti evacuantium & sudorifero: uero interpolato usu vincitur. Rebellium morborum cura manifesto innumerorum exemplorum documento non rectius, quam per decentem usum fontiū mineralium & calidorum & frigidorum instituitur. Quicquid autem per hos efficitur, id partim resolutioni obstruktionum & humorum crassiorum fluxilitati debetur, partim etiam, & quod maximum, evacuationibus alvini ac sudori, qui in balneis vel potius post ea largius fluit, in acceptis ferendum est.

## LEX III.

### Excretiones criticæ potius promovere, quam intercipere oportet medicum.

**E**VACUATIONES CRITICÆ VETERIBUS ILLÆ DICUNTUR, QUÆ IN ACUTIS MORBIS, CUIUS GENERIS MAXIME SUNT FEBRES, SPONTE à NATURA SINE VILLA ETIAM ARTE CERTIS DIEBUS,

ut

ut sunt medius inter tertium & quartum, septimus, nonus, undecimus, sunt, & plerumque bonis & gri rebus eveniunt, quia liberant corpus a morbo & victoram naturæ adversus illum indicant. Quemadmodum vero plura sunt, quæ in structura atque usu corporis humani ineffabilem divini architecti sapientiam planam ac testam faciunt, ita ex illis non ultimum est, quod inordinati non otus, qui à causa morbifica excitantur, sæpiissime in medicinam cedant adfictio corpori, dum illorum operæ ipsa morbi caussa summe pernicialis corrigitur atque correcta ex corpore expellitur. Et quum hæc materiae correætio certum & determinatum temporis spatium requirat, antequam commode ex corpore expelli possit, atque huic negotio divina sapientia septenarium maxime numerum dicaverit, ex eo fit, ut evacuationes, quæ circa septenos vel semiseptenos dies eveniunt, in salutem corporis maxime vergant, quia indicant ordinem & mores naturæ, quos in curando sequi consuevit. Duplici vero modo excretiones illæ salutares sunt: vel enim ipsam causam, quæ functiones corporis turbavit, fecerunt atque evacuant, ut sit in variolis, in morbillis, in febre erysipelacea, pestilente, quibus in morbis ubi ad summam cutim vel glandulas nocens materia propulsa fuit, mox sævissima illa symptomata mitiora sunt aut plane conquiescent; vel criticæ evacuationes eas ob causas salutari sunt, quia effectum morbi perniciale a corpore separant atque removent, siquidem sub ipso morbo & motu concitatori febrili sanguinis & humorum massa in multas excrementistas falsas sulphureas fordes dissolvitur, quæ, dum morbus in vigore & impetu est, non com-

commode secedunt & expelluntur, simulac vero causa morbifica est sublata, si v. g. in inflammationibus stases sanguinis discussæ, spasticæ constrictiones corpus deserunt, tubuli excretorii relaxantur, & omne alienum atque excrementitium, quod sub ipso morbo motu generatum fuit, utrissimum propellitur. Largiter tunc enim profluere solet sudor, alvus sua sponte descendit & copiosa excrements mucida biliosa dimittit, urina fecedit crassior atque copiosum deponit sedimentum. Hisce cognitis jam quisque facile perspicit nihil perniciens esse, quam salutiferas has excretiones si quis temere & turbulenter sistere vel intercipere velit. Quam grauia, immo saepius funesta mala non modo a variolis, morbillis, purpura, crusta lactea, scabie, erysipelite, podagra, arthritide repulsa & repressa ad interiora eveniant, plurimis observationibus atque experimentis in praxi medica quotidie innotescit. Perquam nota sunt etiam illa damna, quæ ex antiquis ulceribus sanatis & diuturnis fonticulis cito consolidatis proveniunt. Quam nobilem materiam quum *Magnificus D. Preses in dissertatione de morborum transmutatione, item de conversione morbi benigni in malignum satis copiose &*, ut solet, adcurate pertractaverit, supersedeo ab eo ibi tradita hoc loco repetere, sed potius benevolum lectorem ad laudata hæc scripta remitto. Unicam tamen eamque memorabilem observationem hic adjiciendam esse putavi: Puellam novimus XIII. annorum, quæ jam inde ab infantia continuo auris effluxione laboravit, qua cohibita accidit, ut in continuam febrem incideret, quæ per duas septimanas adfligens corpus &

C

vires

vires valde consumebat, neque prius expugnari poterat, quam consueta fluxio per aurium meatum resuscitata fuit. Occurrit & nobis non ita pridem adnotata alia observatio, quam hoc loco proponere non alienum puto : observavit nempe *Dn. Præses* cum aliis experimentissimis viris, febres plures acutas, præfertim biliosas, quin etiam malignas copiosiori alvi fluxu suscitato solvi ; quam in rem non sine fructu legi potest doctissima ejus *dissertatio de Diarrhea in febribus malignis salutari*. Ita juvenis annorum circiter XIX. febre maligna cum petechiis corripiebatur, aderat summa in præcordiis anxietas, inquietudo & jaetatio corporis, inexhausta sitis, vigilia adsidua cum delirio ; perseverabant hæc usque ad XIV. diem, & cum omnia conclamata videbantur, ecce inopinato diarrhoea cum ingenti ac copiosa foetidissima excrementorum ejectione sequebatur, & statim proximo die æger meliuscule se habere coepit, ita ut sensim sensimque omnia gravia symptomata eum desererent. Pessime igitur illi agunt, qui diarrhaem hisce in morbis noxiis putantes adstringentibus vel anodynis eam fistunt, pessima enim hinc sequuta symptomata vidimus, quod sequens historia ostendit : Juvenis febre biliosa correptus circa septimum diem circa umbilici regionem murmura percipiebat, subsequenteribus copiosis flavi foetidi humoris dejectionibus. Medicus ex diarrhoea metuens periculum electuarium ex malo cydoniorum, theriaca cœlesti, terra sigillata, haematite ad aliquot dies in aqua menthe & cinnamomi cydoniata exhibitum usurpavit, a quo deinde æger longe languidior factus, aucta præcordiorum anxietate ac dolore

dolore circa ventriculum cum extremorum frigore  
pulsu debili, somno laborioso, tandem delirio acceden-  
te nono die animam efflavit. Omnibus itaque & sin-  
gulis auctor sua forque sum, ut ne excretiones has cri-  
ticas cohibeant, & ad interiora retropellant materiam  
morbificam, si prodesse ægris, eorumque saluti dextre  
& inculpata cum conscientia invigilare velint.

## LEX IV.

Nunquam moliendæ sunt evacua-  
tiones, si materia evacuanda  
non est mobilis, si viæ non aper-  
tæ, sed excretoria obstruncta vel  
spasmo constricta sunt.

**I**psa sana ratio fudderit, non prius obstrunctiones va-  
lorum solvi & inutiles humores evacuari posse,  
quam mobiles, fluxiles & ad excretionem apti redditii  
fuerint. Frustra enim materiæ motum & propulsio-  
nem tentamus, si inepta ad motum fuerit. Omnis  
itaque scopus, omnis intentio medentium in sanandis  
perlongis morbis eo utique tendere debet, ut humo-  
res crassi fluxiles & mobiles efficiantur, durities e-  
molliatur, viæ adstrictæ relaxentur & postea validiori  
facto sanguinis impulsu & stricture solidarum impacti  
humores resolvantur atque obstrunctiones referentur.  
Ex quo jam elucescit, quam incomparabilis sint usus

ad hunc finem consequendum thermæ, acidulæ & aliæ aquæ salubres, infusa, decocta, fatus, balnea & omnia, quæ emolliente, diluente virtute prædita sunt. Patet quoque exinde, quod ante præparationem & mōbilitatem materiæ nunquam validiora purgantia, emetica, diuretica, sudorifera, mercurialia ad salivæ fluxum eliciendum locum inveniant. Communis fere, sed pessimus error est, quando menses vel hæmorrhoides deficiunt vel lochia subfistunt, statim ad pellantia fortiora sic dicta emmenagoga, uti sunt myrrhata, succinata, crocata confugere, siquidem hæc sine præmissa venæ sectione, sine primarum viarum expurgatione, sine prævia vasculorum uteri apertione & dilatatione, sine antea adhibitis medicamentis fluiditatem sanguini conciliantibus potius noxam adferunt & malum augent, tantum abest, ut juvamini sint exoptato. Observations enim docent, ab eorum intempestivo usu febres, capitis dolores, vertigines, anxietates, hæmorrhagias per incongrua loca, deliria, melancholiam & mille alia symptomata fuisse exorta. Præstat itaque potius tali in casu plethoram demere, præstat alvum laxantibus lubricare, præstat sanguini fluiditatem decoctis & infusis appropriatis conciliare vasorumque obstructiones balneis vel aliis convenientibus remediis amovere & tunc supra laudata pellantia cum cura subiungere: ita enim exoptatus consequetur effectus. Hæc lex medendi & regula in sanandis morbis chronicis præsertim scorbuto, lue venerea, hydrope, quartana, melancholia hypochondriaca, calculo, asthmate amplissimi quoque est usus, quandoquidem nihil natu-

rae est infestius & quod magis sanationem impedit, ac validioribus purgantibus uti, antequam viæ apertæ atque liberæ fuerint & antequam materia ad excernendum promta ac parata fuerit. Quid enim imprudentius est, quam, si fecibus duris obstructa fuerint intestina, forte purgans exhibere vel calculum vehementer pellere, ubi a doloris & spasmatis atrociam uretheres & viæ urinariæ fuerint constrictæ, aut aquas hydropicas validiori purgante educere, si humores instar tragacanthæ viscidi intra tunicas membranarum sufflant vel sudorem pellere, summa cute spasmo constricta. Neque solum in morbis chronicis, sed etiam in acutis hæc regula observanda est; nam extra crisin & ante materiae maturationem in vigore paroxysmi nunquam evacuantia cum fructu exhibentur: hinc probe monet *Hippocrates aph. XII. quæ matura coctaque sunt, medicamento purgante educere oportet ac movere, non cruda.* Materia itaque peccans cruda, quæ a naturali temperie deflectit, nemipe si bilis est justo acrior vel viscidior aut nimis fluxilis, ad temperiem convenientem prius redigenda est, quam evacuetur. Natura ipsa huic methodo insitit, siquidem in omnibus fere febrilibus commotionibus primos dies materiae hostilis attemperacioni & resolutioni stasim in inflammatoriis & aliis acutis febribus impedit, quam felicissime exequitur motu & appulso sanguinis ad loca adfecta, quo non modo sensim ac sensim sanguis & viscidi humores impacti solvuntur, sed & discutiuntur. In alijs morbis motu tam intestino quam progressivo auctiori crassi viscidi humores attenuantur, dissolvuntur, fluidique

evadunt, tenues quoque & acres cum oleosis viscidis & terreis. implicantur & temperantur ac nimis fluxiles, falsi ac tenues inspissantur. Quemadmodum igitur natura primo intendit materiae coctionem, ita & medicus idem arte sua agere & tempus evacuandi expectare debet.

## LEX V.

Quando natura est in vehementi motu & impetu constituta & paroxysmi vigent, nunquam fortiores commotiones aut eyacuationes moliendæ sunt, sed potius motus sunt moderandi & ad temperiem reducendi.

**H**ic canon practicus non satis omnibus, qui cum ratione fundata artis opera exercere cupiunt, commendari atque inculcari potest, cuius utilitatem jam siue tempore probe cognovit *Hippocrates*. Cum enim observasset, quantam noxiam adferat, si quis in illis morbis, ubi sanguis cum impetu per partes circumagit & morbi vehementia est maxima, velit fortiora medicamenta, quæ sanguini majorem concitant orgasmum, propinare & purgantia exhibere, quare memorata hæc pharmaca tem-

po-

pore paroxysmi febrilis non præscribenda esse serio suadet atque monet, quando in libr. de purgantibus ita fatur: quicunque a febribus fortioribus corripiuntur, his medicamenta purgantia dare non oportet, donec remiserit. Nam quando corpus nostrum vehementibus motibus vel spasmis intensioribus exagitatur, ut plurimum exteriores corporis partes cum summa cute constrictæ sunt & sanguis a circumferentia ad centrum vergit, alvus, renes, poruli cutis & reliqua emunctoria propter nimiam constrictionem non rite munere suo funguntur & excretiones subsistunt. Quo in casu nihil imprudentius poterit excogitari, quam motus facere eosque augere & præsertim purgante vel vomitorio aut sudorifero valido humores naturæ corporis nostri inimicos exterminare velle. Quantum damni & periculi exinde miseris ægrotantibus accedat, si in paroxysmis morborum spasmodicis constrictionibus ubique vigentibus, ejusmodi pellentia & moventia exhibeantur, vix satis edisseri verbis potest, siquidem morbi & symptomatum vehementiam augent. Quiescendum potius tunc temporis est vel parum agendum: plus enim cunctando in morbi statu perficietur, quam festinando. Et sane rei natura ipsaque ratio dictitat, effrenes motus potius moderandos violentosque spasmos blande sopiendos esse, quam exagitandos. Hanc ob causam rectius procedunt ii, qui in morbi paroxysmorum vigore atque impetu, si quid arte sua tentare volunt, tantum diluentia, blandam diaphoresin conciliantia & moderate nitrofa ac sedativa naturæ amica exhibent, quæ fructu suo non plane destituuntur & eximum adflictis solamen adferunt.

runt. Optimum vero tempus movendi in acutis passionibus est principium vel quando magna jam adeat remissio; in chronicis hoc fieri debet extra paroxysmum, ubi motuum spasmodicorum visitur intermissio, tunc etiam evacuantia congrua operationem suam bene exequuntur. Optandum sane esset, ut haec magna considerationis & momenti practica regula ab iis, qui praxin medicam exercent, magis attenderetur, sed proh dolor toto die contra illam turpissime peccatur. Ut per exempla illustremus hanc adsertionem, communis tam vulgi, quam medicorum non incelebrium olim fuit & adhuc est opinio, variolas, morbillos, purpuram atque pestem expellentibus & alexipharmacis fortioribus esse tractanda, eam ob rationem, ut illud, quod vita est inimicum, cito & sine mora interjecta per corporis peripheriam expellatur, unde tot in officinis prostant tincturæ bezoardicæ, spiritus volatiles, solia volatilia, essentiæ antipestilentiales ac pulveres varii generis sudoriferi & alexipharmici, olea calidiora, quorum usus in hisce morbis est frequentissimus. Et quanvis haec methodus fuerit per multa secula solennis atque plurimis medicis familiaris, nihilominus solida & accurata per plures annos experientia jam ostendit & docuit, usque adeo non profuisse, sed potius mirum in modum nocuisse. Etenim hujusmodi in morbis natura vehementi in motu atque impetu est constituta. Quid deterius autem poterit excogitari, quam calorem calore fovere & ignem igni addere sanguinemque per ejusmodi calidiora remedia quasi accendere, quo nihil aliud efficitur quam

quam ut anxietates, inquietudines, deliria, epilepsias & convulsiones macularum imprudenti repulsione accersamus; exanthemata enim levissima accidente causa externa ad interiora mox revertuntur. Longe tertia autem in expellendis variolis, morbillis, quin imo ipsa purpura & omnibus morbis, in quibus aliquid excerni debet, sunt illa medicamentorum genera, quæ nimis commotiones & turbas amicabiliter fistunt ac sedant. Et quemadmodum tempore paroxysmi nunquam commotiones fortiores per sudorifera istiusmodi calidiora sunt tentandæ; ita & ab iis remediis, quæ humorum copiam per os vel alvum evacuant, medicus peritior abstinere debet. Neque unquam convenit, emetica vel etiam purgantia dare tempore paroxysmi vel non multo ante febris accessionem; quippe per experientiam, optimam rerum magistrum, perspectum cognitumque est, subsequentem paroxysmum longe reddi acerbiorem propter intensiores factos spasmos, unde laborantes mire exerceri & fatigari solent. Ratio intellectu est facillima, siquidem hæc evacuantium genera non alia ratione quam spasmus agunt, dum partes nerveo-membranosa subtili sale acri caustico vellicant ac stimulant, ut validiori constrictione separent & evehant illud, quod copia molestum est, qui proprius & genuinus omnium purgantium est operandi modus. Iam vero febrem omnem intermittentem ejusque paroxysmos spasmis perfici, vel ex eo, ut nostra quidem est sententia, manifeste apparet, quod constrictiones cutis, nausea, conatus ad vomendum, anxietates præcordiorum, horripilationes & refrigerationes extremarum partium, flatulentæ abdominis

D

minis

minis tensiones alvique adstrictiones, quæ omnia & singula prodromi febrium intermittentium sunt, subinde jungantur. Peccatur itaque toto die in eo, quod in paroxysmis febrium intermittentium purgantia ægrotantibus summo cum eorum damno propincentur; nam præsente febre, dum patitur genus nervosum atque constringitur, non potest aliter fieri, quam ut ex necessitate & consensu intestinorum canalis afficiatur, constringatur ejusque motus peristalticus, quo mediante contenta per alvum foras protruduntur, & edatur, unde eo tempore alvus parum vel nihil reddit. Potius igitur declinante paroxysmo aperire alvum leniter laxantibus, non vero drafticis purgantibus convenit.

## LEX. VI.

## Evacuationes per loca humoris exercernendo convenientia fieri debent.

**A**Urea hæc *Hippocratis S. 1. aph. 21.* regula practica est, adeoque majori cura atque diligentia observanda. Etenim si medicus humorum, qui in vitio sunt, excretiones stimulo quodam promovere debet, probe eum oportet attendere, cuius conditionis & indolis sit materia hostilis evacuanda, & quo in loco & parte etiam corporis sit constituta, ut brevissima via commode educi possit. Nam ut sunt diversi generis excrements, ita iis evacuandis non quælibet accommodata sunt emunctoria, sed quodvis exrementum peculiare & proprium quasi habet emunctorium. Atque adeo si in ventriculo & prima regio-

gione stabulatur & fixam sedem habet vitiosorum corrūptorum biliosorum humorum saburra, ex male ingestis eorumque copia producta, quæ anxietates & dolores gravativos parit, ciborum appetentiam prosternit, somnū placidum impedit, & febres minatur; tunc utique emetica deplendo hac saburra ventriculum utilissimam præstabunt operam: qua ratione magnus & periculosus morbus præcaveri potest. Si in principio morborum intestina infarcta, vel ex male adsumtis & male concoctis edulis multis fovent cruditates, facile patet, ea, quæ clementer intestinalem regionem expurgant, omnium opportunitissima esse. In hypochondriacis prima regio inque ea quam maxime duodenum ingenti cruditatum acido biliosarum colluvie subinde refertum est, quam si quis diureticis vel sudoriferis præpositere vellet eliminare, næ is non leve damnum allaturus esset. Nam ejus generis humores amant temperantibus castigari & per ventrem evacuari, unde etiam ex thermis & acidulis aliisque medicatis aquis, quæ aluinās sordes liberaliter movent atque evacuant, convenientissima in hoc malo sunt medicina. Graviori iracundiae affectu motus canalium biliosorum peristalticus auctus ingentem bilis saepē corruptæ & acris copiam in tenuia intestina effundit, quæ parit anxietates, nauseam, ciborum fastidium, compressiones circa præcordia, interdum etiam cardialgias & inflammations, immo febres movet. Si quis hic fortiori emetico vel sudorifero hisce vitiis vellet succurrere, is certe pestilentem errorem committeret; complures enim lugubres evenitus propter inflammations inde subortas mihi competi sunt. Nam quia congruum humoris biliosi excreto-

rium est venter, longe tutius & consultius bilis ab ira commota per rhabarbarina cum nitro & pulvere præcipitanti nupta vel per alia mitiora laxantia educitur. Noti nobis sunt casus, ubi ex gravi ira quidam male habentes ad tollenda incommoda se demiserunt in balnea & fortiter sudarunt, unde lentæ febres, artuum tremores & contracturæ sequutæ fuerunt. Nihil magis noxiū vel intempestivum est, quam alvo per quinque vel sex dies clausa sudorifera vel alia calida spirituosa offerre aut emeticum præbere; nihil quoque inconsultius ac serum ad habitum corporis hydropici transfusum per sudorem velle educere, quum potius per urinarias vias & alvinam regionem ejus educationem moliri conveniat. Pessime quoque ægrotantium suorum saluti prospiciunt medici, qui circa illud tempus, quo variolæ, morbilli, purpura & alia exanthemata vel inflammations erysipelaceæ prodire debent, purgantibus vel emeticis eos exagitant, quia in extremam perniciem hac vieos adducunt. Ubi cunque vero unius ejusdemque indolis humor eodem emunctorio excludi potest, tunc certe non alienum est, sed rationi & experientiæ consentaneum deprehendi, excretiones in aliis excretoriis promovere, quo divertatur affluxus humoris, qui partem diu infestavit. Ita in tussi valde humida, qua mucosa in maxima copia & immoderatius eiiciuntur, peropportune purgantia offeruntur, quia mucum ex pectore in alvinam regionem trahunt atque divertunt. Quod etiam valet in fluore albo & gonorrhæa, ubi saepius ingens viscidorum humorum copia ad has partes affectas adfluit atque excernitur, & purgantia eam ob causam, ut divertatur nempe humorum nimius appul-

appulsus, optime præscribuntur. Manet itaque firmum ac stabile, naturam semper, in opere evacuatorio si deficit, & humores evacuandi commode per illa emunctoria duci ac ferri possunt, adjuvandam esse.

## LEX VII.

Nunquam medicus vi quadam morborum curationes aggredi vel evacuationes moliri, sed paulatim & successive agere & tempus expectare debet.

**S**i nullus ex aphorismis Hippocraticis egregium in praesi-  
xi usum præstat, certe est aphorismus 51. Libr. II. qui  
ita se habet: *Plurimum & repente vacuare aut replere,  
vel refrigerare aut omnino quomodo cumque corpus movere,  
periculosest. Et omnis multitudo naturæ contraria est.  
Quod vero paulatim fit, tutum est, tum alias, tum si ex altero  
in alterum transitus fit. Sicut enim, quæ fiunt in natura,  
operationes per gradus, non vero per saltus, neque mi-  
nus paulatim & successive, non vero cum impetu & vio-  
lentia quadam perficiuntur: ita eadem quoq; via in sanan-  
dis morbis, in castigando & expellendo humore noxio,  
in obstructionibus resolvendis procedit, & temporis be-  
neficio utitur. Quapropter etiam medicus, si rite suo  
officio defungi & naturam imitari velit, nunquam vio-  
lenter agere maximeque evacuationes moliri debet.  
Nam certa & diuturna experientia compertum habe-  
mus, non majus periculum ex errore ac temeritate me-*

D 3                    dici

dici ægrotantibus accedere, ac ab emeticis & purgantibus validioribus, neque minus ab iis remediis, quæ viduorem pellunt, aut urinam & salivam movent & corpus fortiter calefaciunt. Neque enim tam subita & ingens mutatio, quæ corporibus a validissimis & magna dosi exhibitis remediis infertur, utilis, sed potius valde noxia esse debet, quia omnes vehementes motus sunt in eorum numero, qui naturæ infensi sunt, qui præternaturales, morbos, & corpori vim inferunt. Omnes itaque & singuli, qui praxin feliciter auspicati & exercere volunt, candide & ingenue monendi sunt, ut, quantum fieri potest, ab omni validiori medicina, ea que in majori dosi oblata abstineant; ita tuto, sine noxa & periculo sanationes suas confident. Si itaque emeticum est porrigendum, præstat in mitiori dosi, quam in vehementiori, illud præscribere. Si enim humores ad ejectionem per superiora inclinant, operatio erit sufficiens, si que una vice humorum vitiosorum copia non potest educi, præstat idem remedium repetere, quam simul & semel noxios humores expellere. Sique per inferiora subducendi sunt humores peccantes, rectitus semper id sit clementioribus & repetitis vicibus, quam simul & semel; quare hunc in finem non satis laudari possunt pilulae magni usus secundum Becheri exemplum confectæ, quæ aloen & extractum hellebo cum temperatis balsamicis gummatibus & extractis amaris ita miscuit, ut una dosis vix tria grana ex memoratis purgantibus capiat. Ita tonus ventriculi & intestinorum, qui alias purgantibus laedi solet, non modo conservatur, sed etiam corroboratur, siisque successive crebrius datis

tis saluberrimæ per alvum excretiones fiunt. Spe-  
ctant huc quoque infusa ex radicibus & corticibus anti-  
scorbuticis, aromaticis, atque ex rhabararo & agari-  
co, addito stimulo salino tartareo, per extractionem cum  
vino confecta, quæ tam ad præcavendos morbos vere  
& autumno, quam ad sanandos rebelles chronicos af-  
fectus non satis laudari possunt. Quodsi vero per ha-  
bitum corporis excludendæ veniunt halitiosæ sordes,  
nunquam in usum trahenda esse existimo ea, quæ su-  
dorem fortiter pellunt, uniuersam sanguinis & humo-  
rum massam commouendo; sed potius infusa & de-  
cocta ex iis, quæ diaphoresin movent, quæ transpi-  
rationem augent, parata, vel etiam pulveres fixioris  
naturæ, temperata balnea omne punctum in sanatione  
etiam rebellium morborum chronicorum præter acu-  
tas passiones absolvunt. In lue venerea affectis si sali-  
væ fluxus proritandus est, nunquam violentia & ma-  
gna dosi id efficere oportet, nisi feralia symptomata  
excitare velimus. Si motus nimij & efferati compe-  
scendi sunt ac dolores sedandi, præstat semper anodynæ  
refracta, quam integra & magna dosi adhibere & sisten-  
tibus amico temperamento quædam stimulantia ad-  
jungere. Si denique roborandum est, & partes ner-  
væ, ne consuetos spasticos motus repetant, firman-  
de, quod sit maxime in reprimendis paroxysmis inter-  
mittentium, & quidem familiarissime per famigeratissi-  
mum illum chinæ corticem & alia constringentia; tu-  
tius semper est, causa febrili prius subacta & evacuata  
illud efficere, in mitiori quam magna & continua  
dosi, & antequam causæ prospectum fuerit. Quam  
varia

varia morborum genera ex hac perversa medendi ratione pullulent, quotidiana loquitur experientia. Proveniunt enim exinde phthisis, hydrops, asthmata, hectica & pathemata spasmodico hypochondriaca. Quapropter tutissime semper curam ingreditur medicus, si curationibus tempus impendat, neque unquam nimis festinet, nisi ut canis festinans, ut proverbium habet, cœcos catulos parere velit.

## LEX VIII.

Convenit interdum motus effrænes morbosos compescere, relicta ad tempus eorum causa,

Quemadmodum et motus morbos, qui a centro ad circumferentiam abeunt, qui comitem habent pulsum citatiorem, cutem relaxant ac spasmos tollere & in salutem machinæ labefactatæ tendere solent adeoque causarum nocentium propulsioni intervint, nunquam a prudenti & in arte versato medico fistendi sed potius pro circumstantiarum exigentia conservandi vel moderandi sunt: ita et contrario illi, qui vergunt a circumferentia ad centrum, quales sunt maxime spasmodici, qui omnia turbant in corpore &, dum liberam dispensationem & motum humorum ac debitam secretionem & excretionem impediunt, interitum ipsi minantur, neque ad causæ remotionem directi sunt, interdum provido consilio protinus compescendi sunt, licet causa efficiens

ens horum motuum adhuc intacta fuerit relicta. Quam rem ut exemplis reddamus illustriorem, in medio ponamus dolorem calculi, qui longe est acerbissimus, & cui saepe tanta adjuncta est symptomatum & motuum infensorum saevitia, ut ob vehementes spasmos & do-  
lores a calculo uretheribus impacto sanguinis exæstua-  
tiones præternaturales, deliria, tremores, convulsio-  
nes, saepe etiam epileptici motus, imo vomitus conci-  
tentur. Hos igitur motus efferatos utique medicus  
prius temperare, in ordinem redigere atque compescere  
debet, quam de calculi exclusione promovenda co-  
gitet. Hic medendi modus etiam rationis habet suf-  
fragium ; siquidem calculo ad urethes ex renibus de-  
lato ibique firmius ob molis majoris vel figuræ angu-  
laris & asperæ impedimentum hærente, canalis ille  
membranaceo-nerveus intensius adhuc constringitur,  
augetur inflammatio & summe dolorificus sensus ibi  
excitatur, unde febris originem trahit, & quia per con-  
sensum simul ventriculus & duodenum afficitur, non  
potest non eorum motus peristalticus inverti ac vomi-  
tus proritari ; quin imo tandem toto genere nervoso  
in consensem rapto deliria, tremores, convulsiones &  
epilepsiae præsto sunt, quæ quandoque mors funesta  
excipit. Quodsi igitur quis hoc in casu velit causam  
morbificam adgredi & calculum vi movere non  
solutis ante viarum, ubi ille hæret, constricti-  
onibus, is sane nihil aliud efficeret, quam ut spa-  
modicas constrictiones augendo lethalem morbi cata-  
strophen induceret. Quapropter longe consultius cau-  
sa morbi relinquitur ad tempus & motus quavis arte de-

E mul-

mulcentur: ita enim illis ad temperiem reductis & viis relaxatis faciliori negotio causæ amolitio tentari poterit. In colica passione, quæ miris cruciatibus torquet ægros, illico vehementiam spasmodorum delinire convenit clysteribus oleosis & fotu ventris cum unguento ex axungia humana, pinguedine taxi, castor. zibetho & hujus generis aliis, interne quoque pinguia & oleosa propinare oportet. Motibus enim dolorificis hoc modo sedatis postea facile causæ materiali, quæ tantorum symptomatum origo fuit, appropriatis remedii poterit succurri. Similiter in hæmorrhagiis nimiis, quorum impetus semper a spasmodis sanguinem ad certam partem adgentibus & vasa venosa ibidem consistentia distendentibus, proficiscitur, usque adeo nihil memorabile expedietur, nisi prius ipsos spasmos deliniamus, quibus so-  
pitis sanguinis profusio ulterior vel sponte cessabit vel facillima ratione cöerceri poterit, quæ antea exquisitissimis etiam stypticis & sanguinem sistentibus remedii cohiberi neutquam potuisset. Tacemus plurimos alios spasmodicos, convulsivos & cum magna dolorum atrocia junctos affectus, ubi semper expedit paroxysmis sedantibus prius invigilare, quam causæ abolitionem moliamur. Cavendum vero quam maxime est, ne in ejusmodi morbis, ubi motus nimii perniciem minantur, corpori ad eos fistendos opiate & fortioria anodyna adhibeamus. Testantur enim observationes practicorum celeberrimorum, spasmodicam colicam sepius in paroxysmum aut etiam veram paralyssin transiisse post liberalem usum opiatorum, quæ atoniam excitando in partibus maxime affectis vires mirum in modum infringunt, in-

influxum liquidi nervei sufflaminant & liberiorem sanguinis circulum per has intercipiunt atque sudorem frigidum, qui sequitur atoniam partium, producunt. Perstringendus hoc loco quoque est vulgaris ille, sed pessimus medendi modus, quando ad spasmos & dolores a calculo demulcendos ut plurimum commendant pleniori dosi & prescribunt varia anodyna. Observatum enim fuit, si sub atrocioribus spasmis calculo in motu existente ejusmodi remedia offeruntur, calculum tono quasi uretheris debilitato fixam sedem pertinacius occupasse ibique haesisse diutius, donec tandem confortantibus adhibitis e sede sua propulsus fuerit. Ejusmodi motus anodynus sopitos interjecto aliquo temporis intervalla denuo resuscitatos fuisse multiplici experientia observavit Excellentissimus Dn. Praeses, quale exemplum quoque prostat in *Miscell. Natur. Curios. Ann. III. Dec. III. Obs. 89.*

## LEX IX.

Ubi motus sunt languentes, ibi anodyna & omnia, quae eos sistunt, summo studio evitanda sunt & potius ea, quae vires reficiunt & motus excitant, adhibere oportet.

**S**icut medicus ille prudenter admodum ac dextre suo officio perfungitur, qui justo tempore motus exacer-

E 2

cer-

cerbatos compescere novit: ita certe præpostere agit is, qui motus intempestive sistit, si sunt provocandi potius & excitandi. Videas nonnullos in quovis dolore vel somni defectu, parum respiciendo ad vires ægrotantis, statim ad anodyna, præsertim ea, quæ ex opio suam agendi vim nanciscuntur, intempestive admodum confugere, cum tamen istiusmodi remedia heroica, quæ magnæ sunt efficaciæ & tam promta ad nocendum, quam ad juvandum, cum grano salis sint usurpanda, siquidem si prosunt, ob id profunt, quod minus recte fuerunt usurpata. Nunquam autem talia sunt suadenda aut in usum vocanda, si corporum adsit debilitas, quæ ex impotentia membra movendi, pulsu debili parvoque, item ex animalium actionum flegnitie ac torpore sufficienter cognoscitur, quæ omnia corporis motus languentes, ac humorum spirituascentiam depressam indicant. Opiata enim pharmaca vires enervant & facile sphacelum, imo mortem accersunt, in senibus ad affectus soporofos disponunt; plethoricis vero admodum nocent atque excretiones sanguinis statim supprimunt, in quibusdam etiam ad mentis abalienationem disponunt. Qui a malignis & spasmodicis morbis detinentur, ex facilitab opiatis afflumis trucidantur, unde lethales opii eventus passim animadvertere licet in observationibus. Ita memini quandam febre ardente laborantem ad vigilias continuas fistendas laudani grana aliquot sumissæ & sic æternam sibi conciliaffe quietem. Refert *Forestus Lib. IX. Obs. 14.* de cocochymico, cui imperitus medicus in dolore calculi præscripsit opium, illum ex hujus usu somno sepultum esse perpetuo. Legi quoque possunt hanc in rem *Sando-*  
*rius*

rius de methodo vitandi errores Lib. VIII. Cap. XII, Willifus in  
Pharmac. rational. P. I. pag. 392. Sennertus Prax. Lib. VI.  
cap. I. pag. 7. Nec defunt exempla, ubi opium in forma sup-  
positorii vel clysteris immisum mortem induxit, qualia  
haurire licet ex Tilingii Libre de opio pag. 46. Sennerto loc.  
cit. Marcell. Donati Histor. Medic. Mirab. Lib. IV. Cap. XVIII.  
Et quamvis aliquando dolorem initio reddant quodam-  
modo mihiorem, attamen non ita multo post acerbiora  
sunt symptomata, quæ mortem ipsam non infrequen-  
tur inferunt. Placet in hujus rei confirmationem ex  
multiplici Excellentissimi Dn. Praesidis experientia allega-  
re casum, qui sequentem in modum se habet: Vir an-  
num agens quinquagesimum ab annis jam decem circa  
vernus & autumnale tempus laboravit ex podagra, cui  
cum paroxysmo graviter conflictanti applicatum est  
ab empirico cataplasma, quod constabat ex aceto, alu-  
mine & camphora, a cuius usu dolor quidem redditus  
fuit moderatior, sed ab eo tempore ægrum male habe-  
re cœpit ingens lassitudo cum appetitus prostratione,  
nec non somno turbulento, & paulo post sensit dolorem  
acerbum constrictorum sub scrobiculo cordis, qui ad  
costas spurias dextri lateris usque porrigebatur. Me-  
dicus quidam in consilium advocatus dolorem sistere  
tentavit opiatis larga in quantitate propinatis, sed even-  
tu plane infausto. Tametsi enim dolorum sevitia ali-  
quantum mitigata apparuerit, rediit tamen brevi post  
truculentior cum magnis clamoribus, contorsione &  
flexura corporis & inquietudine, alvo manente durissi-  
ma & adstrictissima, omnes injectos clysteres rejiciente,  
qui etiam malum augere visi sunt. Cibum quoque non

retinuit, sed ut plurimum rursus ejecit. Pulsus erat naturalis, urina pauca & flavi coloris. Durarunt hæc sævissima symptomata ultra sex septimanas. Accessit tussis sicca convulsiva, virium totalis prostratio & tandem convulsiones finem vitæ imposuerunt. Enfatalem morbi catastrophen, quam imprudens opati medicamenti usus in subjecto jam debilitato induxit! Heroica igitur & opata maxime remedia in subjectis admodum infirmatis rectius omittuntur, quoniam noxam non facile emendabilem hisce inferendi facultate pollent. Præstat ejusmodi in statu potius antispasmodicis, balsamicis, corroborantibus, analepticis, nitrofis, itemque bezoardicis paulo fixioribus & accuratori insuper diætæ ratione languenti naturæ succurrere, ac motus quavis arte conservare & erigere, siue vel maxime ob urgentes dolores conjunctos aliquid videtur moliendum, non opatiis & vehementioribus sedativis, sed blandissimis anodynis cum balsamicis naturæ amicis combinatis, uti est liquor anadynus mineralis *Excellentissimi Dn.* *Præsidis* cum ejusdem balsamo vitæ mixtus, id est perficiendum.

## LEX X.

Morbi paroxysmo vel motu morbosо finito corpus roborandum est, maximeque ea loca corroborare oportet, quibus infedit  
cau-

causa morbi & tyrannidem ibi  
exercuit, ita enim non modo  
paroxysmi, sed & novi morbi  
pejoris indolis plerumque ato-  
niam partis cuiusdam subse-  
quentes præcaventur,

**Q**ui saniorem medendi rationem sequuntur, eos  
non latet, paroxysmos morborum præfertim  
spasmodicorum vehementiores subsequi magnam ato-  
niam ac debilitatem corporis & illius cum primis par-  
tis, ubi causa morbi inhæsit & vehementiam suam ex-  
ercuit, quæ deinceps debilitas relicta non modo facil-  
lime paroxysmos priores revocat impetu longe fortio-  
ri, sed & ob sanguinis circulum ibidem factum impedi-  
tiorem & vigorem deperditum humores noxii ad illam  
partem decumbere confuscent & stagnationem sube-  
unt, quo pæcto chronicis diuturnis & maxime lentis  
morbis amplissima subministratur occasio. Placet in  
confirmationem hujus rei divini nostri *Hippocratis* sen-  
tentiam hoc loco adducere, qui apb. 32. Sect. IV. hunc in  
modum scribit: *quibus a morbo restituis quidpiam est  
infirmum, ibi abscessus sunt.* Hunc aphorismum doctissi-  
mus *Heurnius* pro more suo non inconcinne ita expo-  
nit: *quando post morbum infirmitatis aliquid supererit, quæ  
ex laßitudine & imperfecta crise judicatur, ita ut supersint  
materiæ febrilis reliquiæ aut si liberalius se potu aut cibo in-  
vitent,*

vitent, quam immutata ventriculi actio, temperamentum & habitus perferre possunt, tunc in discriminem venit homo, quia partes internæ & externæ labefactatæ sunt; hinc si non accurata diæta acceperit, hepatis & lienis scirbi vel cephaleæ vel foras in artus, si ibi imbecillitas, abscessus effunduntur. Quare, nequid coacervetur, dentur pilulae aloëphaninæ, mastichinæ vel Risi vel tale quid. Spectat huc quoque aph. XII. Sect. II. morborum reliquæ, quæ a crisi superfluent, recidivos morbos parere consueverunt. Fit hoc potissimum, quando ob infirmatam naturæ vim, sicut rursus optime id explicat Heurnius, materia morbifica non tota fuerit exclusa, neque in declinatione alvus purgante sollicitata. Quod cum ita revera se habeat & quotidie in praxi observetur, utique manifesto apparet, nihil esse finito motu morbo ad reliquias mali extirpandas accommodatius, quam quodvis noxiū & morbificum, quod adhuc hæret in corpore, tacitasque ipsi struit insidias, sive in ventriculo sive invenis substiterit, mature excluderet & corpus ab omni excremento succo liberare. Graviter vero in hoc errare ut plurimum solent medici, quod in fine morbi & ægris ad sanitatem redeuntibus morbiferas reliquias neque evacuantibus, neque diaphoreticis eliminant, neque robur deperditum naturæ atque ventriculo per congruam diætam & probata stomachica apte restituant. Etenim quo inefficacius medici præsidium est morbo in vigore constituto, eo præclarior & manifestius in ejus principio atque in declinatione, siquidem initio morbi, natura adhuc valida existente, multum proderit, si omnes ingenii sui nervos eo intendit, ut obstacula, quæ

108.

quæ naturæ motus salutares sufflaminant, dextre removat & materiam vitiosam diminuat; in declinatione vero, si corpus debilitatum rufus confirmet, vires languidas erigat, & quod restat adhuc noxiū, expellat, non modo recidivas peiores, sed & novos longe periculofiores morbos plerumque succedentes felicissime avertet. Quodsi autem ullo in morbo, certe in variolis & morbillis reliquæ morborum ut expellantur & corpus hoc modo corroboretur necesse est; alias variæ exulcerationes & abscessus viscerum aliaque gravia symptomata subsequuntur, qua de re practicorum libri satis abunde loquuntur. Commendamus vero ad reliquias morborum subigendas & ad robur universi corporis reparandum pilulas balsamicas, quæ simul humores noxios leniter evacuant & robur ventriculo ac intestinis addunt & conciliant, quales sunt pilulæ *Becheriane* & ad harum exemplar paratæ *Stahlianæ* & *Excellentissimi Dn. Præsidis*.

## LEX XL

Tempestive & statim in principio occurrentum est morbis, atque materia, quæ in vitio est, via, quæ est brevissima, evacuari debet.

**E**X aliis præstantissimis medendi regulis eminent maxime illa *Hippocratica*, quæ aphor. 29. sect. 2. contine-

F tur

tur: *incipientibus morbis, si quid movendum videtur, move, vigentibus vero, quietem agere melius est.* In genere hic summus vir rejicit omnem illam medendi rationem, quæ in morbi vigore, i. e. statu, impetu & exacerbatione ejus, ubi omnia sunt in vehementissimo motu, per fortiora remedia, maximeque evacuantia suscipitur. Maximopere vero commendat ad medicinas, quæ movent, quæ evacuant, porrigendas initium morbi. Rationem hujus regulæ gravissimus autor in sublequentे aphorismo 30. adjicit, dum ait: *circa principia & fines omnia debiliora sunt, circa vigores vero fortiora.* Siquidem in vehementia & vigore morbi omnia sunt in motu & turbulento statu posita, partesque motibus vacantes musculosa ac nervea in spasmo constitutæ. Hinc in proclivi ratio est, quare tum omnia moventia ac stimulantia locum non inveniant. Quia vero in principio & declinatione morbi omnia sunt debiliora, i. e. spasmi & motus vehementes nondum adfunt vel se remiserunt, tunc utique, si opus est, materia & causa morbi statim in principio evacuanda, vel qui sub ipsius morbi progressu alienus humor genitus fuit, sub declinatione expellendus est. In vigore vero & impetu morbi nihil agendum, sed quiescendum esse jubet sapientissimus vir, & abstinendum potius ab omnibus commoventibus: neque tum alia, quam humectantia, refrigerantia, & quæ effrenes motus quodammodo componunt, adhibenda. At vero præstantissimam hanc medendi legem non tantum ratio, sed etiam experientia suffulcit. Nam ad graves in ipsa herba jugulandos morbos, præsertim, qui

a contagio veniunt, ut sunt pestis, dysenteria, castrenes & mali moris febres miasmate suscep<sup>t</sup>e, non efficacius remedium occurrit, quam lene emeticum, quo colluvies vitiosorum humorum una cum miasmate, quod cum saliva in ventriculum descendere solet, antequam ad massam sanguinis & genus nervorum defertur, statim evacuetur. Variolæ, morbilli, purpura & continuæ plures febres, biliolæ etiam & ardentes, ita quæ arthriticis & podagricis insultibus associantur, longe mitioribus incedunt symptomatibus, & longe faciliter sanationem recipiunt, si statim ab initio, simul ac æger conqueri cœpit, prima & alvina regio vel leni emetico vel clementi purgante a colluvie vitiosorum humorum fuerit depleta. Nam incremente morbo increscunt spasmī, quibus hæ fôrdes intus retentæ morbi & symptomatum vim valde adaugent. Et quia intermittentium febrium, tam tertianæ quam quartanæ, fomes ab initio plerumque in ventriculi & intestinorum plicis ac glandulis hæret, non alienum est, statim ab initio primas vias à fôrdibus sive per leniora emetica, sive salia deterativa, sive commoda laxantia liberare. Consentientem quoque hac in re habemus autoritatem Hippocratis, qui *Libr. de Affect.* hæc prodidit: *se quartana deprehenderit, vomitorium in principio exhibendum, rursus aliquo intervallo aliud infra purgans medicamentum. Quodsi per hæc non sedatur, medicamenta febrifuga dare oportet.* Neque vero purgantia fortiora, quæ ipse Hippocrates *Lib. de Purgant.* §. 5. rejicit, intelligenda sunt, utpote quæ nunquam in febribus tuta, quoniam spasticas exacerbant.

F i

mo-

motiones, vel eas quoque, si conqueverint, revocant & recidivas pariunt. In lentis febribus, quæ maxime intermitterentes male curatas sequuntur, in principio & laxantia & mitiora emetica tutissima sunt, ut alimentarius canalis à saburra acida viscida expurgetur. Quod si vero id negligitur, lente febres facile in hecticas terminantur, quia diuturniores paroxysmi ingentem & fluidis partibus & visceribus labem affricant. Periculi plenissimæ inflammations internæ, ut pleuritis, péripneumonia, angina, matura sanguinis missione & subjuncto infuso diaphoretico statim in principio discuti possunt, cum sub horum neglectu earum curatio ob febrem atque intensiorem inflammationem valde difficilis & ancesps fiat. Inflammatio ventriculi sèpissime ex frido potu fit periculofissima, quod periculum mox averti potest, modo infusum ex herbis diaphoreticis cum aqua calida factum statim assumatur. Quomodo sphacelo, si partes externas infestet, sub initio statim potenter resistere possimus, res in vulgus nota est, quum præterlapso medicandi tempore mors certissima sequatur. Ex quibus omnibus clarissime intelligitur, tempestive succurrendum esse morbis, & occasionem medendi arripiendam, in qua non multum temporis, ut loquitur *Hippocrates Libr. de Præcept. §. i.* Optandum vero vehementer foret, ut & medici occasions temporum in morbis sanandis rectius attenderent, & ægrotantes quoque citius opem medici implorarent, quia in tempore curare & morbo occurrere omnium rerum tam medico, quam ægrotanti primum esse oportet.

LEX

## LEX XII.

**Per paucis & selectis medicamentis  
in morbis tam avertendis, quam  
curandis utendum est.**

**N**ihil magis medentem turbat & confundit, quam am-  
plissima illa remediorum silva, qua libri pharma-  
cevtici, chymici, botanici, & practici reserti sunt; quam si  
quis paulo accuratius considerat, profecto non mirum  
est, si à discenda arte prorsus deterreatur. Quis enim  
tam innumera remediorum genera, tot compositiones,  
tot remediorum virtutes, quæ vulgo ipsis adscribuntur,  
firmiter memoria teneat? Quamvis enim beni-  
gnissima natura ex omni suo regno ac penu, ipsis etiam  
venenis non exceptis, varia in usum ægrotantium, non se-  
cūs ac diversissima alimentorum genera, subministret;  
tamen non opus est, ut omnia ea in usum vocentur.  
Natura enim sicut in aliamentis, ita etiam in iis, quæ  
auxilium morbis afferunt, paucis contenta est, neque ul-  
la nos addueit necessitas, ut peregrina & ex lon-  
ginquo petita, vel magno labore ac pretio comparata  
acerlamus, quoniam parabiliora, simplicia, facilia &  
domestica, quibus maxima vis inest, nobis sufficiunt.  
Artis itaque est, optima feligere & eorum usum ac vi-  
res in tot individuis variisque morbis probe cognosce-  
re atque explorare. Quibus accedit, quod paucae &  
simplicissimæ sint morborum causæ, quibus removen-  
dis & pauca & probata & longo usu experta sufficiunt.  
Quibus ex causis illum medicum semper maximi asti-

F 3

man.

110

mandum putavi, qui paucis utitur remediis bene præparatis. Hac enim ratione vires & facultates eorum penitus scrutabitur. Multitudinem vero remediorum, qua medentes subinde utuntur, & crebram remediorum mutationem ignorantiae filiam esse, persuassimus sum. Felicem itaque & beatum illum, qui paucis sanat, infelicem vero, qui pluribus utitur, judico. Ipse enim testis sum, quam pauca & facilia, præeunte mihi hac in re in praxi sua Magnifico Domino Præside, juvent, & quam rebelles ac desperati morbi iis tolli possint, modo dextre, provide ac diuturnius usurpentur. Generales has ad felicem morborum medellam pertinentes leges si quis probe observet atque attendat, is non facile in praxi hallucinabitur, sed omnia dextre ac feliciter perficiet. Superest vero adhuc alia proponenda præcepta, superest etiam methodus medendi specialissima, quam nos subactum & exquisitum medici judicium esse existimamus. Hoc vero in eo consistere videtur, ut medicus statum & historiam morbi secundum omnes circumstantias, & maxime eas, quæ ad naturam ægrotantis cognoscendam spectant, perpendat ac ponderet, & secundum has curandi dirigat intentionem atque remediorum genera feligat, & quo ordine, qua dosi, quo regimine ea administranda sint, meditetur. Siquidem non omnes morbi eadem methodo tractari volunt, sed quisque fere peculiarem deliberationem ac prudentiam in adhibendis remediis desiderat. Qua de causa jam facile intelligi poterit hæc regula Galeni practica, multa occurrere in praxi medica, quæ nec dici, nec scribi possunt.

CLAS-

CLARISSIMO ATQUE INGENII ET VIRTUTIS LAUDE ORNATISSIMO

DN. CANDIDATO

S. P. D.

PRÆSES.



*Implicitem esse veritatis sermonem, graviter & summo poeta, Euripide, dictum est, sed hujus vim per pauci assequi videntur. Est enim mortalium animis id imprimis insitum, ut veritatem in arduo ac difficiili loco positam sebi imaginentur, viamque ad eam pervenienti duris ingenii laboribus ac salebris difficultatibus circumseptam existent. Ego vero cum omni sapientum ordine contrarium sentio. Neque enim ulla via facilior, simplicior aut compendiosior est, quam quæ ad veritatem dicit. Atque ob id, quod plurimi illud iter, quo ad veritatem itur, tam facile sibi persuadere nequeunt, pauci eam inveniunt. Admirabilis & exquisitus ille ordo, quo cuncta in universo conservantur, paucis & simplicissimis nivit principiis. Divina illa numerorum & magnitudinum scientia simplicissimis tantum fundata est regulis. Animantium corpora, quæ in ruinam & corruptionem perpetuo prona sunt, duobus tantummodo motibus iisque simplicissimis, nempe solidorum constructione ac dilatatione & inde pendente vitali fluidorum circulo, salva, sana & integra servantur. Atque etiam probe calcu-*

culo positio, per pauci sunt motus & cause, que vitam ac san-  
 nitatem destruant. Neque remediorum vires & facultates,  
 quibus perversi motus in ordinem redigi debent, ad mul-  
 tas classes, sed potius ad paucissimas redigi possunt. Et pro-  
 fecto simplicissima etiam sunt & non numerosa medendi pre-  
 cepta, quae si quis recte teneat atque observet, ne is non unus  
 ex multis, sed felix beatusque inter medentes estimandus  
 est. Summus disciplinae medice autor ac princeps, Hippo-  
 crates, eas in aphorismis suis preclarè complexus est, sed plu-  
 rimi ex artis filii sunt, qui eas oscitanter tractant, vel pror-  
 sus neglectui habent. Non possum itaque satis & laudare  
 & probare pulcherrimum Tuum, Nobilissime DN. CANDI-  
 DATE, institutum, quo has medendi leges quam maxime sa-  
 lutares & quasi universales praesenti in differentiatione propo-  
 nere atque enucleatius tradere ammisus es. Gratulor ergo  
 ex intimo affectu de clarissimo hoc virtutis & evolutionis Træ  
 edito specimine. Gratulor etiam Amplissimo Parenti Tuo  
 de filio, à quo & patria & publica res uberrimos fructus pe-  
 tere certoque sibi polliceri possunt. Gratulor denique mihi  
 de genuino artis filio, qui non vulgarem scientiam in artis  
 tam theoria, quam exercitatione indefessa diligentia conse-  
 quutus est. Assiduus fuisti prælectionum nostrarum per tres  
 annos & ultra auditor, & qua nobis in clinica praxi adstiti-  
 sti, illa ad laudem plane insignis fuit solertia. Augeat beni-  
 gnissimum Numen dotes tibi concessas, tuisque rebus impos-  
 torum felicitatem adspiret mirificam; prosperet quoque, quos  
 jam ex merito capessis, honores, & in iuncture, quod augendæ  
 doctrinæ causa suscipere constitueristi, te salvum atque in-  
 columem seruet.

S. D. G.

e, quæ vitam ac sa-  
vires & facultates,  
i debent, ad mul-  
gi possunt. Et pro-  
merita medendi præ-  
teret, næ is non unus  
medentes estimandus  
ac princeps, Hippo-  
plexus est, sed plu-  
r tractant, vel pror-  
ue satis & laudare  
issime DN. CANDI-  
quam maxime sa-  
dissertatione propo-  
tes. Gratulor ergo  
& eruditio. Tine  
issimo Parenti. Tuo  
errimos fructus pe-  
culor denique mihi  
scientiam in artis  
ta diligentia conse-  
nostrarum per tres  
linica praxi adstiti-  
tia. Augat beni-  
que rebus imposto-  
veret quoque, quos  
ere, quod augendae  
salutum atque in-

© The Tiffen Company, 2007

## TIFFEN® Color Control Patches

Black

3/Color

White

Magenta

Red

Yellow

Green

Cyan

Blue

